DIONYSIUS ANTONIUS COZETTUS

EX GALLIATO NOVARIENSI

REGII PROVINCIARUM COLLEGII ALUMNUS

AD LAUREAM PHYSICO-MEDICAM

Anno poſt Chriſtum natum MDCCLXI. Die XXVII.
Aprilis Hora XI. matutina.

A U G U S T Æ T A U R I N O R U M.

Typis Joſephi Mariæ Ghiringhelli ſub Signo JESU.



EX REGNO MINERALI.

DE SALE CIBARIO.

I.

SAl cibarius ille eſt, qui figuram cubicam frequentius induit, præſertim ſi in magnas cryſtalliſationes intra aquam concreverit. Certum, propriumque ſaporis ſenſum linguæ impoſitus excitat, candentibus prunis injectus admodum crepitat, igne mediocri fuſorio liqueſcit, atque inde nonnihil alcaleſcit, validiore igne fuſorio maxima parte in fumum reſolvitur, in aquæ quantitate ſale quadruplo majore diſſolvitur.

II.

Dividitur ſal cibarius in Fontanum, Marinum, & Foſſilem, quod vel in fontibus, vel in mari, vel intra terram frequentius inveniatur. Etenim erui etiam poteſt ex

quacunque fere animalis parte, ex nonnulis ſtirpibus, atque adeo ex turfis, atque lapidibus, præſertim illis, qui occurrunt, ubi foſſiles conchæ inveniuntur, & ubi mare fuiſſe certum eſt.

III.

Fontanus in plurimis Italiæ, Sabaudiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, aliiſque locis reperitur, atque ex aquis excoquitur, & elicitur.

IV.

Cum vero ut plurimum gypſeis, & ſpathoſis, vel calcareis, aut terreſtribus, aliiſque particulis fontes ſalſi referti ſint, certis machinamentis utantur oportet, qui puriorem ſalem nec extraneis particulis fœdatum obtinere a fontibus velint.

V.

Terreſtribus præterea ſalſarum aquarum partibus, interdum & ſulphureæ, & bituminoſæ aſſociantur; & tunc fellis, vel ſanguinis aliquid aquæ infundendum eſt, quod, dum ea ebulliat, excitat ſpumam, attrahitque ſulphureas, bituminoſaſque partes, quæ ablata ſpuma ejiciuntur, atque deinde cryſtalliſationes non ſolum puriores, & nitidiores, ſed & majores habentur.

VI.

Marinus ſal ab aqua marina eruitur. Aquæ autem marinæ in nonnullis locis majorem, in aliis minorem ſalis quantitatem occultant: & quæ maris loca zonæ torridæ propiora, referta ſunt majore ſalis quantitate, minore vero, quæ ab eadem zona magis diſſita inveniuntur.

VII.

Foſſilis denique ſal ex ſpecubus in glebas exſcinditur, quæ ſæpius incertæ figuræ ſunt, aliquando partes cubicas oſtendunt: interdum ex plurimis laminis, haud raro ex innumeris filamentis coaleſcere videntur. Colore vel albido,

do, vel rubro, aut croceo, vel cinereo, aut cœruleo, vel diluto, vel ſaturo fucantur, & ſæpius opacæ, interdum pellucidæ inveniuntur.

VIII.

Salifodinas Auſtria, Hungaria, Polonia, Ruſſia, & alia loca habent.

IX.

Hujuſmodi ſales omnes, ſi diligentius depurati fuerint, invicem conveniunt, nimirum coaleſcunt ab alkali, & ab acido validiſſimo, quod ab acido vitriolico, vel ab acido univerſali originem ducere videtur. Sal tamen marinus cæteris anteponitur.

X.

Sal cibarius modico uſu adhibitus reprimit æſtuantes noſtri corporis humores, ciborum corruptionem arcet, chyli, ſanguiniſque perfectum opificium adjuvat, & animalis functiones promptiores, ſolida leviter ſtimulando, efficit. Contraria vero ejuſdem abuſus præſtat.

EX HISTORIA, ET THEORIA MORBORUM PATICULARIUM

De Mania.

I.

ILud inſaniæ genus, in quo diuturna, & tanta commotio, perturbatioque rationis cum audacia, & furore plerumque conjuncta habetur, ut homo non ſit compos ſui, μανίαν Græci vocant, atque ab Aretæo Cappadoce definitur: *Ex toto mentis alienatio diuturna, vacans febri*. Ex hoc autem, quod nulla ſit febris in Mania, colligendum neutiquam eſſe nonnulli monent, Maniacos nunquam poſſe febre laborare.

I I.

Dividi ſolet Mania primo in continuam, cujus ab acceſione ad mortem nulla eſt intermiſſio, & periodicam, quæ intermiſſa ſtatis temporibus iterum invadit, quæque ab aliquibus ſympathica etiam dicitur; deinde in recentem, & inveteratam; tum in adventitiam, & hereditariam.

I I I.

Inter præcipua Maniæ ſymptomata enumerantur, cum furor, & audacia, qua morbo hoc correpti obvia quæque aggrediuntur, atque impetunt; tum ingens virium robur quo vel firmiſſima quæque corpora diffringunt, & conterunt,

runt, immaniaque pondera attollunt; ac demum intentiſſimi frigoris tolerantia, quæ tamen non ita conſtans eſt, ut nulli umquam Maniaci de frigore conquerantur: quod quum contingit, boni ominis eſſe Practici docent.

I V.

His adduntur perſæpe aſpectus torvus, & ferus, oculi ſanguinei, vigiliæ contumaciſſimæ, diuturna a cibo, potuque abſtinentia, alia, quæ pro varia cauſarum vi diverſa ſunt. Nonnulli denique Maniaci tamquam canes rabidi, aut lupi ululant, latrant, ac mordendi, & lacerandi rabie circumaguntur, unde Cynanthropi, & Lycanthropi, aut Lycaones vocantur.

V.

Signa, quibus futura Mania prænunciatur, hujuſmodi eſſe traduntur: dolor capitis aſſiduus, angor animi, & moleſtia terror ex levi quacumque cauſa, inſignis ad iram proclivitas, riſus inſuetus, & inſolens, præter rationem garrulitas, vel aſſidua taciturnitas, perpetua mentis contentio, vigiliæ contumaces, vel ſomni leviſſimi, & facillime interrupti, inſomnia turbulenta, aurium tinnitus, & ſonitus, oculi cavi, & fixi, igniculorum ſpecies oculis, & inſolita quædam ſpectra ſenſibus obſervantia.

V I.

Quod ſi æger inepta incipiat loqui, animo facile, ac vehementer perturbetur, obtutu ſit intento, ac torvo ardua, & difficilia aggrediatur, pulſus durus fiat, urina rubra, & ſine ſedimento, vel cum levi nubecula jam proxime in Maniam labi creditur.

V I I

Porro illi facilius, atque frequentius Mania corripi exiſtimantur, qui natura ſunt iracundi, acriter excandeſcentes, qui jocoſis, puerilibusque delectantur: illi etiam, qui contrario his ſunt ingenio, ſcilicet ſtupidi, triſtes, tardi

in

in diſcendo, & qui, quod didicerunt, facile ablivioni tradunt: quibus habitus corporis ſiccior, ſanguis pauco ſero refertus, qui ſtudiis profundioribus, maxime noctur-nis, ſe ſe dedunt, & aſſiduis curis, iiſque diuturnioribus implicantur.

VIII.

Occaſionem autem huic morbo præbere dicuntur con-ſuetarum evacuationum ſuppreſſiones, animi pathemata gra-viora, diuturna præſertim mœſtitia, & præceteris ira, qua majorem vix ullam Galenus cauſam reputavit, aeris conſtitutio calida, & ſicca, motus corporis concitatior æſtivo tempore inſtitutus, alimenta acria, aromatica, li-quorum ſpiritibus abundantium perpotatio, ebrietas, mer-curius, ſive externe linas, ſive interne ſumas, huyoſcia-mi, napelli eſus, aliaque id genus.

IX.

Anatomicæ denique obſervationes oſtenderunt Mania in-teremtorum cerebrum modo compactum, durumque, modo ſiccum, modo ſulcis, foveiſque altioribus excavatum, modo cerebri, corticem flavo colore infectum, modo ſan-guinea ipſius cerebri vaſa turgida varicum inſtar, aut ni-gro, tenacique ſanguine diſtenta, modo oſſa cranii denſiſ-ſima, & craſſa, & ſuturas ferme deletas.

X.

Quapropter ex his probabiliter concludi poſſe nonnul-li cenſent Maniam pendere a nigro, tereſtri, denſoque ſanguine, ejuſdemque indolis ſucco per nervos fluente, validiore impetu moto in cerebri fibras præter naturam tenſas: ex quibus omnia, quæ in hoc morbo deprehen-duntur, deducunt, eamque a Melancholia gradu tantum diferre arbitrantur.

EX PRAXI

De paralyſi in genere.

I.

PArtes, quæ motum una cum ſenſu, aut certe motum, vel ex toto, vel magna ex parte amiſerunt, laxæque flaceſcunt, Paralyticæ a Græcis, a latinis reſolutæ nuncupantur.

I I.

His ubi vehementior, aut diuturnior morbus eſt, quandoque livor accedit, ſæpius tumor omnium autem frequentiſſime macies, pallor, frigus.

I I I.

Futuram, & potiſſimum propinquam, vehementioremque Paralyſim fere prænunciant vacillatio, tremor, frigus, torpor, ſtupor, ſenſus gravitatis, laſſitudinis, frigoris, titillationis in partibus, quæ morbo laborabunt, vel in illis, quæ communibus nervis ſentiunt, ac moventur.

I V.

Opportuniores huic morbo ſunt, qui vino, venere, balneis, ſenectute infirmi ſunt, qui perfrigida, humidaque loca, vel maxime æſtuoſa inhabitant; qui pituitoſi ſunt,

 vel

vel melancholici, qui, aut laxas, aut tenſas nimium carnes habent; qui convulſionibus ſolent commoveri; qui antimonium, hydrargyrum, arſenicum, plumbum fodiunt, ac pertractant.

V.

Occaſionem autem morbo præbere conſueverunt ingens calor, aut frigus, aut dolor; narcotica extus, vel intus adhibita; vinum, liquoreſque ardentes, ubi intemperantius ingeruntur; materia menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, ſudoris, alvi, lotii, ſalivæ, puris, ſaniei, variolarum, ſcabiei, herpetis, ulcerum demum, vel tuberculorum quævis cutaneorum, vel etiam febris, inflammationis, melancholiæ, arthritidis, ſcorbuti, hydropis, rheumatiſmi, ſcilicet ubi materia eadem, vel ſubito cohibita, vel excuſſa fertur ad originem nervorum; pleraque demum eorum, quæ opportuniorem huic facere dicebam. Atque his, quidem cauſis interdum membra reſolvuntur.

V I.

Semper vero Paralyſis exoritur, quando cauſa quævis medullam ſpinalem, aut cerebrum, aut nervos, aliquando etiam arterias comprimit, aut diſtrahit, aut torquet, aut ſecat, aut abſumit, aut quovis modo lædit ita, ut horum actio vel omnino, vel maxima ex parte deleatur: hiſque ſemper in partibus morbus eſt, ad quas læſi nervi, vel arteriæ pertinebant.

V I I.

Ea porro ratione nervi, vel arteriæ lædi poſſunt quoties in cavo capitis, aut vertebrarum, vel in meningum vaſis proximiſve, vel in nervis, aut arteriis, vel pone nervos, aut arterias, ſanguis, aut alius indolis humor concrevit, vel diſruptis vaſculis manaverit, aut inflammatio, vel gangræna, vel tumor, vel ulcus natum ſit. Interdum etiam exſucca medullæ cerebri ſubſtantia morbum ortum fuiſſe viſum eſt.

At

VIII.

At aliquando ſine manifeſto nervi, vel arteriæ vitio reſolutionis cauſa in muſculis eſt vel nimium flaccidis, vel aqua, aut pituita redundantibus, aliquando etiam in morboſam ſubſtantiam converſis.

IX.

Quoties igitur cohibitus, vel excuſſus humor morbum fecit, aut ad eum locum ſtatim revocandus, unde divertit, aut in alium alliciendus, qui eo melior, quo opportunior humori evacuando. Ubi narcoticorum, vel metallorum halitu natus eſt, evacuantia, acida, oleoſa, pinguia, ſpecifica adhibenda ſunt. Concretum humorem extenuare opportet, effuſum diſcutere, & educere. Inflammatio, gangræna, tumor, ulcus, laxitas, vel ſiccitas fibrarum, redundans in iiſdem fibris humor, effectus frigoris, caloris, doloris, vini, liquorum ardentium, & reliquæ Paralyſis cauſæ, ut morbi ipſæ ſunt, ita reſpondentem curationem poſtulabunt. Atque ita porro in morbi curatione cogitandum primo quænam ex his quas dixi, cauſis, morbum fecerit, eique cauſæ auxilia oportet adhibere.

X

Sed hæc quidem in omni nervorum reſolutione oportet cogitare, deinde vero animadvertere quid in ſingulis diſſimilitudo loci deſideret. Intereſt enim utrum membra morbus occupet, an viſcera utrum ex membris ſuprema reſolvantur, an infima, utrum ex viſceribus ſtomachus, an inteſtinum, & ſic porro.

Facultate obtenta.